

sequitur. Pulchrum, honestum, et praeclarum, quod in suo genere perfectione excellit, quia vno apud Graecos vocabulo insigniatur, inter se Plato confundit, idque ratiocinio nonnihil obest: pulchri namque quamuis egregie declaretur natura, primusque, ni fallor, Plato has pulchritudinis causas aperuerit; honestum tamen nonnihil ab eo differt, nec deriuari aut ab vtilitate potest, aut a voluptate, quam contemplantibus affert, nisi definitum sit ante, vtrum iucunditas ea ex respectu ad vtilitatem, consuetudine ac legibus adiunctam actionibus, an a natura proficiscatur ipsa. Qui in disputando magis esset quam Polus exercitatus, iniuria afficere turpius quidem esse, quam iniuria affici, non tamen propterea magis damnosum, turpitudinem namque manare ex respectu ad voluptatem, eam vero institutis hominum legibusque deberi, proinde suapte natura turpe sensui et naturae non esse aduersum, statim reponeret. Magis igitur declarandum fuisset, argumentisque firmioribus fulciendum, quod recte ceteroquin dicitur, omne honestum esse etiam vtile, veramque sine honestate vtilitatem nullam; in quo demonstrando Stoici, a Platone rem ipsam mutuati, diligentiam adhibuerunt multam. Hoc posito, facile Socrates, maius esse malum poenas ob illatas aliis iniurias non dare, quam impune eas ferre, probat. Qui ob iniurias illatas punitur, iure dat poenas; qui iure punitur, iusta patitur a puniente iuste agente; ergo, quae pati eum par est, suntque adeo honesta, ab altero honeste agente patitur; siquidem iustum qua tale, est etiam honestum; ergo etiam bona, id est, siue vtilia sibi, siue iucunda, cum honestum omne sit etiam bonum. Quam autem poena affert vtilitatem, ea in animi ponitur emendatione: iniustum enim esse, intemperantem, timidum, aliisque vitiis inquinatum, nihil

hil